

De praecipuis dentium morbis ... / [Ludwig Ernst von Könen].

Contributors

Könen, Ludwig Ernst von, 1770-1853.
Universität Frankfurt an der Oder.

Publication/Creation

Francofurti ad Viadrum : E Typographeo Apitziano, [1793]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jq54t2uw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

K

XI

18/k

K xi

31457/p

De
praecipuis dentium
morbis,

Auctoritate atque Consensu
Illustris Medicorum Ordinis

in

Vniuersitate literaria Viadrina

Doctoris Medici Honores

legitime promeriturus,

a. d. XXII. Maii MDCCCXIII.

publice differet

Ludouicus Ernestus Koenen

Berolinas.



Frankofurti ad Viadrum
e typographico Apitziano.



Viro summe Reuerendo,

Illustri, Excellentissimo atque Expe-

rientissimo

Augusto Friderico Pallas,

Medicinae Doctore celeberrimo

Ingenio et Arte insigni,

Capituli Halberstadiens. quod a B. Maria

Virgine nomen habet, Canonico,

etc.

Fautori perpetua obseruantia colendo,
Eorum, quos charissimos veneratur
Custodi et conseruatori,

Sibi quondam

Medicinae excolendae Auctori,

Nunc

Difficillimam artem ipse facturus,

Tanti Viri

Consilii auxiliiue maxime indigus;

Haec, vt nunquam a se desiderari

patiatur,

Enixe orat atque rogat

Simulque

Hanc academicam commentationem

Fretus

Viri in utraque medicina praestantissimi

Indulgentia et Humanitate

Deuinctissimo Animo

D. D. D.

Ludouicus Ernestus Koenen

De praecipuis dentium morbis.

§. I.

Dentium morbos, quibus homo ab incubulis usque ad summam senectutem obnoxius sit, et maxime invisas, et frequentissimas esse aegritudines, extra dubitationis aleam iam dudum positum est. Tamen nec medici, nec chirurgi per longum tempus ad eas sese attentos praebuerunt et miseri aegroti a circumforaneis seplasiariisque auxilium contra tam atrocem hostem petierunt. Maiorem vero laborem ac studium incitatum in hanc scientiae partem nuperis temporibus medici insumebant, quod cuique notum erit, qui FAVCHARDII, a) BOVRDETI, b)

A 3

IOVR-

a) *Fauchard le Chirurgien dentiste. Paris 1728.*

b) *Bourdet recherches et observations sur l'art dentiste.*

TOVRDAINII, c) HVNTERI d) aliorumque
industriam non ignorat.

§. II.

Anatomicas dentium diuisiones et demonstrationes hic omitto eaque tantum, quae de iis physiologia recenset, breviter enarrare mihi est propositum. Illa pars, quae de alueolo nuda eminent et corona audit, diuersa ossis substantia gaudet; interna est spongiosa, lamellata ac maxime sensibilis, externa vero splendens, dura, vitrea et quasi metallica, quare etiam eam vulgo Emaile nominamus. Fibrosa e) est, insensibilis, multo ceteris ossibus durior et densior, quare ARISTOTELES f) dicit: καὶ ἀδυνατεῖν γλυφεσθαι τῶν ὀστέων μόνον. Similia quoque

c) *Iourdain* über die chirurgischen Krankheiten des Mundes. Nürnberg 1784.

d) *Hunter* Geschichte der Zähne und ihrer Krankheiten. Leipzig 1780.

e) *Halleri* primae lineae Physiologiae, edit. Wrisberg. pag. 335.

f) *Aristotelis* Historia animalium. Lib. III. Cap. VII.

que PLINIVS g) testatur. Inferior pars
dentis siue radix in alueolo recondita et
gingiua obducta, per foramen in apice arte-
riam, venam neruumque internam substan-
tiam adituros recipit. Neruorum simulac cau-
dentium recepti sunt, inuolucris a dura ma-
tre destitutorum, nuda et aperta mollis ac pul-
posa massa, si lamina vitrea paululum modo
deleta est, quamcunque auram reformidat
et a quauis externa iniuria quam maxime
dolet.

§. III.

An dentes manducatione continua detriti
crescant et reparentur, necne? adhuc sub
iudice lis est. Crescunt secundum VERHEY-
NIVM, h) ACHARD, i) COVRTOIS, k) HAL-

A 4

LE-

g) *Plinii Historia natural. lib. VII. cap. XVI. vbi
invenimus sequentia: Dentes autem tantum in-
victi sunt, nec cremantur cum reliquo corpore.*

h) *Philipp Verheyn Anatomia corporis humani.
Sect. V. Cap. VII.*

i) *Achard physikalisch chemische Abhandlungen
1778. 5te Abhandlung. Ueber den fort dauern-
den Wachsthum der Zähne.*


k) *Courtois recherches sur les maladies des dents.*

LERVM, l) etc. contrarium vero affirmant prae ceteris BUFFON, m) PROCHASKA n) et HUNTER. Dentes continuo attritu et manducatione decrescere, nemo dubitare potest; attamen nisi aliae causae iis sunt detrimento, per non paruum tempus incolumes quotidie munere funguntur cibosque quam aptissimi atterunt. Sane magnum id esset, sine ulla reparatione attritarum partium. Quem ad scopum tunc vasa sanguifera et nervosa sunt? Tunc quoque dens artificialis in alveolo avulsi, aut dilapsi dentis translatus locum huius compensaret, sed hunc euentum optatis nostris minime fanere satis superque compertum habemus. Certum quoque est, dentem cui oppositus altera in maxilla dens elapsus est, crescere ac difformitati saepius ansam dare; dentis hoc incrementum negant aduersarii, sed longiorem eum fieri et magnitudinem priorem superare

l) *Halleri Elementa Physiologiae. Tom. VIII. p. 52. edit. Laufann.*

m) *Buffons Naturhistorie. T. I. B. 2. p. 218.*

n) *Prochaska Annotationes academicae. Pragae 1780.*



9

perare tantum videri volunt, quia materia ossea alveoli repleti essent. Apud senes, ubi foramen in radicis apice iam clausum, profecto repletio alveoli longioris dentis causa habetur, sed minime iunioribus in subiectis. Porro si dens amissus est, vicini dentes latescunt et sese appropinquant. Exstat quoque exemplum, maculam, quae prope gingivam in dente esset, post sextum annum totam evanuisse ac mutatam coronam apparuisse. Incrementum dentium in brutis quoque inuenimus; mirum in modum fuit in cuniculis, quos Cl. ACHARD hanc in finem nutriebat, porro in apris, equis, leporibus et suis dentes longiores fiunt. In elephantis dissecto dente glandem aeneam inuentam fuisse, circa quam laminae novae subnatae erant, enarrat VFFENBACH o) specimen ipse in Theatro anatomico Rotodami in manibus habuit ac nullam fraudem latere affirmat. Omnia haec fidem faciunt, per totam vitam dentes crescere et

A 5

vetu-

o) Zachar. von Uffenbach merkwürdige Reisen durch Niederdeutschland, Holland und England; T. 3. p. 312.

vetustis elementis deletis noua succedere;
quemadmodum in aliis corporis partibus
tam solidis, quam minus firmis fieri solet.

§. IV.

Quo magis gingiua dentes circumdat,
quo rubrior et multis vasculis pincta est,
tanto meliorem esse dentium statum constat,
quia hoc in casu dentes in manducatione
minus detrimentum patiuntur, sedem fixam
in alueolis habent ac melius externis iniu-
riis obistere possunt. Bonum est, si dentes
rectilinei sine ulla declinatione alueolis in-
fixi ac densiter aggregati sunt, ita, vt in in-
terstitiis eorum nullae ciborum reliquiae re-
manere neque acrimonia detrimento iis esse
possint. Modus viuendi autem quoque
considerandus est. Sic in itinerariis legimus,
Tartarorum dentes inter se distare, quibus
equorum carnes nutrimentum praebent,
quod non manducant, sed dilacerant. Con-
trarium in Aegyptiorum mumiis inuenimus,
dentes incisui et canini non superficiem
pungentem et scindentem sed latam habent,
nam HERODOTO teste, alimenta plurima e
vege-

vegetabili regno sumserunt. Analogiam aliquam anatomia comparata docet, nam herbivora, ruminantia animalia dentibus caninis carent. p)

§. V.

Ad incolumitatem dentium servandam mundities quam maxime necessaria est. Haec et ad dietam, et ad therapeuticen spectat.

I. Mundities dietetica salubria ea remedia continet, quibus dentium integra valetudo tuenda, futuraque eorum corruptio prohibenda est. Interstitiis non modo, verum etiam in coronis molarium et locis gingiva denudatis ciborum reliquiae adhaerent, quae vitreae substantiae deletionem dentem corrumpunt et acrimonia gingivae dolores, exulcerationes etc. producunt ac sanguinationi eius causam dant; praeterea foetidum oris halitum procreant. Horum malorum aut materies supprimenda est, aut ea ipsa a progressu arcenda sunt. Tutissime id frequenti oris collutione efficimus, quam quavis

p) *Halleri Elem. physiolog. Tom. VI. pag. 26.*

uis coena et etiam ieiuno adhuc ore institui-
mus. Aqua frigida obest, sed calorem eius
oris calori respondere oportet. Non est de
nihilō, quod vulgo squalidam et luteam
dentium faciem ex frigidi et calidi subitanea
vicissitudine originem trahere dicunt; το
ψυχρον πολημειον οδασι Hippocratica sunt
verba q). Vitrea substantia frigidis contrahitur
et rumpitur; nervo iniuriam facimus,
ac quamquam non semper dolet, tamen facile
patet, dentium incolumitatem et candorem
pati. Huc quoque refero quotidiana
observationem, qua constat, manducationem
panis cibarii inter causas recte
enumerari, cur rustici dentium formositatem
prae se ferant et naturae dono ormentur, quo
saepius urbani orbatī sunt. Aquam ad col-
lutionem aptam buccis et lingua agamus
simulque gingivam superiorem superne, in-
feriorem vero ab imis ad superiora digitis
leniter terimus tam extrorsum, quam intror-
sum, ut quodvis alienum deportemus. Di-
giti locum quoque spongia compensat, qua-
cum melius adhuc omnibus in interstitiis di-
ver-

uergere possumus. Dentiscalpis prius uti non licet, quam si collutione facta adhuc ciborum particulae inueniuntur; e ligno molli facta esse oportet, ut iam MARTIALIS ^{r)} iure monet, e. g. tiliaceo marginibus obtusis, nam duriora e. g. ex ebore, metallis, penna etc. detrimentum afferre possunt. Haec valde premunt et dentium declinationem producant; vitrea substantia destruitur et caries oritur, saepius quoque gingivae laesionem haemorrhagiae et eius tabescen-
tiae sequuntur, frequens causa dentium mobilitatis iacturaeque.

II. Mundities therapeutica ea tractat, quae e diaeteticorum monitorum neglectione iam perniciosis sequelis praesentibus obseruanda sunt, ne malum augeatur: Praecipue vero sequentibus praeternaturalibus obuiam eundum est:

1) Si tenax, mucosa materies dentes illinit, quae et e statu morbofo totius corporis, et ex oris secretionem originem trahit. Supra iam recensita hic quoque profunt,
spon-

^{r)} *Martial. Epigramm. Lib. XIV. Dentiscalp. XX,*

spongiae vero vice pectine setaceo utimur, cuius fortiori frictione melius adhuc dentes fordibus liberare possumus. Crebrior attamen usus et dentibus, et gingivae damnum affert, quia sensibilitas praeternaturalis nascitur. Si ea nondum satisfaciunt, dentifricia sunt adhibenda; hic latum in campum seplasiariorum et sodalium descendimus; vidimus hic preciosarum at miraculosarum Tincturarum, Balsamorum, Electuariorum etc. magnam copiam, quae etsi aegroto parum profint, ad augendam tamen rem artificis mirifice conferunt. Qualitates dentifricii pulveris sunt: candorem dentium ac gingivam incolumem servare. Ad scopum priorem consequendum, nec nimis crassum, nec nimis subtilem esse oportet; v. c. carbo panis ficci, alcalina vero, e. g. os sepiae, corallia praeparata, cineres Nicotianae et cet. acria salia et acida e. g. alumenustum, cremor tartari caute et raro in usum vocanda sunt. Gingivae flaccidae tonum reddimus aromaticis et adstringentibus, v. c. radice iridis Florentinae, caryophyllis aromaticis, cortice citri, pulvere Chinae et cet. Sa-
cha-

charum puluerisatum dentifricii loco quidam laudant, sed postea mucus a dentibus est abstergendus. VNZER enarrat, ducem quendam de Beaufort sacchari libram quotidie comedisse ac iam summa aetate prouectum bonis gauisum esse dentibus. Iamaicae incolae alimenta omnia saccharo condiunt, nos acrium ciborum causa deridentes. Nautici Nicotianae folia manducant, quod gingivae putrescentiam coercet; eandem utilitatem manducatio ~~78~~ Betel s) incolis Indiae orientalis praebet. Maculam dentium nulli remedio cedere si inuenimus, salutem e limatione nos petere oportet.

2) Tartarus dentium est concrementum terreum, denti circumpositum praecipue marginibus lateralibus et parti radice gingivae.

3) Betel vocant folia Piperis Betulae cum dimidia nucis Arecae Catechu parte; huic subtilem pulverisatam ostrearum calcem adspargunt. Manducatione huius compositi labia rubent et dentes nigrescunt, quod inter formosa apud omnes Asianos meridionales numeratur. vid. Goettingisches historisches Magazin von *Meiners* und *Spittler*. B. I. pag. 334.

gingiua destitutae, vbi attritus minimus est. Totos dentes tartaro incrustatos vidit FAV-
CHARD, gingiuam eo obductam et alio morbo durante eum ita incrementem, vt
externe tumorem perspicere posses, HVN-
TER. Sunt, qui tartarum ex alcalinis sali-
uae residuis ortum trahere, dicant, sed
nunquam in sano corpore alcalini aliquid
in salua inuenis; tunc quoque in morbis,
vbi salua lixiuiosam naturam nacta est, e. g.
largiore mercurii vsu semper tartarus adef-
set, quod vero experientia non confirmat.
Verosimile mihi est, tartarum nihil aliud,
quam depositionem particularum terrestrium
salua contentarum esse; verosimilius adhuc,
quia concrementa talia quoque in ductibus
et glandulis salualibus exstant. Exempla
multa recensita in immortalis HALLERI
Elementis Tom. VI. reperimus. Ad tartari
aliarumque sordium vero genesis multum
quoque quaedam corporis praedispositio
confert, nam interdum homines alias ma-
xime sani tamen his malis aegrotant. Quo-
tidie videmus hanc parentum dispositionem
quoque in infantibus exstare, quod vero
hae-

haecreditariam eam esse minime probat, sed in eadem apud eos ratione viuendi causam quaerere possumus. Sic in Poitou, Saintogne et Angoumois incolae malis sunt dentibus, quod eorum medici frequenti alii vesicationi tribuunt.

Damna, quae tartarus affert, non parui sunt momenti: gingiva cruorem profundit et tartaro tabescit, dentes mobiles facti eiciuntur et cariei obnoxii sunt; subinde etiam lingua eminentiis tartari laesa, vlceribus malignis laborat. Initio, tartaro nondum inueterato lotio cum aqua calcis prodest; alcalia HVNTER laudat. SPRINGS-FELD 1) in experimentis circa thermarum Carolinarum vsum refert, aquam hanc tartarum dentium fugasse, quia alcalinae eius partes gluten, quo terreae partes iunctae sunt, soluunt et massam destruunt; quandam similitudinem inter tartarum et calculos urinae esse commemorat. Tartarum vero iam excauatum obtuso instrumento frangimus, sed caute sine iniuria denti allata. Postea

1) Hamburgisches Magazin. B. 22. p. 32.

stea adhuc dentifriciis utimur, ac, ne frigidus
aër dentes afficiat, curam gerimus.

§. VI.

Sine dentibus infans mundi lumina salu-
tat ac si torrens vitae decrepitum fenem ad
aeternitatis ora seduxit, denuo dentibus est
expers. PLINIUS et alii v) nobis de neo-
natis dentibus praeditis narrant. Fetus utero
materno adhuc incluso iam dentes fuisse,
minime credo, quanquam in steatomatibus
abdominis et tumoribus cysticis dentes in-
uentos esse lego w). Non in dubium voco
tales narrationes a sagacibus viris factas,
quanquam MARTIN x) eas exstare negat,
sed quandam ovarii dispositionem, quae ta-
lia praeternaturalia formet adesse, cum aliis
credo. Tempus primae dentitionis plerum-
que a septimo mense incipit atque ad secun-
dum

v) *Plinius* supra dicto loco. *Livii* Histor. Lib. XLI.

c. 26. *Kerkring* Observationes anatomicae, p. 60.

w) *Blumenbach* Commentar. Goetting. Vol. VIII,
pag. 56.

x) *Abhandlungen der schwedischen Academie der
Wissenschaften*. T. 29. p. 286.

dum et tertium aetatis annum excurrit ; maturius aut tardius dentiunt , si robustiores aut infirmiores sunt. Maximo cum iure **CL. MAYER** y) praeceptor meus venerandus praematuram dentitionem abundantiae terrestrium partium in corpore infantis tribuit. Experimenta, vbi **ACHARD** sciuros lacte et cibis mollibus nutriebat , quorum dentes stupendam magnitudinem consecuti erant, contrarium affirmare forte tantum videntur, nam hanc magnitudinem defectui attritionis potiustribuendam esse credibile est. Nonne apud cachecticos infantes, vbi partes solidae debiles et flaccidae, vasa mucosis ac tenacibus humoribus repleta sunt, dentitionem tardam animaduertimus ? Luculentum exemplum dant miserrimi illi rachitici , quorum ossa partibus terreis orbata naturalem firmitatem amiserunt, vbi primi dentes interdum post annos demum apparent a dentibus sanis multum diuersi. Dentes incisivi primum illucescunt, dein canini et postremi sunt mo-

B 2

lares

y) *Mayers Beschreibung des menschlichen Körpers*, T. 2. p. 9.

lares. Dentes lactis nominantur, quia septimo anno eiiciuntur, a quo tempore usque ad annum decimum quartum secunda dentitio medici attentionem occupat. Annis adolescentiae dentes sapientiae dentitionem absoluunt. Praeternaturalia et rara sunt exempla, ubi natura denuo iuuenescit et in senectute adhuc dentes apparent. Foeminam sexagesimam STOLL 2) nouit, quae omnibus dentibus rursus donata diem supremam obiit. Iocose illi dicebat: prouidentiam sibi nihil dentibus largius dedisse. Rariores sunt casus, ubi dentium germen falsam positionem occupabat. SWIETEN e palato dentem erupisse refert; ego ipse in Ill. WALTHERI praeceptoris pie colendi museo anatomico specimen vidi, ubi dens incisuius in apertura narium situs erat. DAMPIER a) narrat Noui Hollandiae incolas dentibus duobus incisuiis anterioribus carere, sed utrum naturale id sit, an artificiale non ad-

2) Stoll Ratio medendi. P. IV. pag. 172.

a) Allgemeine Reisebeschreibungen. Th. 12: pag. 225.

addidit. Forſan hic BLVMENBACHII b) verba valent: *die Natur wird endlich überdrüſſig einem Volke einen Schmuk zu verleihen, den es immer wieder vertilgte und vernichtete etc.*

Dentitioni duo ſunt ſtadia.

1. Primum complectitur dilatationem maxillae. Signa diagnostica ſunt: ſi infans ſaepius digitum in os immittit, papillas mordet, ſaliuae copioſior affluxus fit, intumeſcunt gingivae et amygdalae, oculi et facies tota rubet. Rariſſime ſtadium hoc ſine vllis ſymptomatibus praeterit; interdum ſani infantes difficillime dentiunt. Dens alveolum nempe dilatat ac hoc incitamentum dolores mouet, infans inquietus clamat. Lenia antiſpaſtica hic profunt, e. g. ſpiritus cornu cerui, ſyrupus e meconio etc.

2) ſecundum ſtadium grauioribus affectionibus ab eruptione dentis ortis a praecedente diſtinctum eſt. Gingivae inflammatio augetur, dens eam premit ac pungit, irritamentum hoc ſymptomata auget, affertque in-

b) *Lichtenberg und Förſters Goettingiſches Magazin.* Erſter Jahrgang 5tes Stück. pag. 262.

inquietudinem, agrypniam, congestiones
versus caput, ptyalismum, febrem, tussim
graviorem et sonantioris aëris meatum,
convulsiones et affectus epilepticos, morte
tantum saepius finiendos. Spasmi obstru-
ctiones valde exitiosas gignunt; multo me-
lior diarrhoea habetur, quae nisi perualida
aegrotum nimis debilitat, minime est oppri-
menda. Rariores sunt gingivae suppuratio-
nes HVNTERO docente; dentitionem quo-
que gonorrhoeam benignam et vrethrae do-
lores procreasse, TODE c) refert.

Irritamentum, quod omnia haec mouet,
erit tollendum, quare praecipue antispastica
profunt; Syrupum e Meconio infanti des,
donec lenimen accipiat, hic si frustraneus
sit, guttulas quasdam Laudani liquidi ad-
das. Horum remediorum usus vero non
nisi caute laudandus est; aetas infantis, eius
constitutio aliaque conditiones hic nobis
praecepta dant, ne noceamus. Febris pror-
sus attentione nostra maxime digna, ple-
rumque est inflammatoria; interdum suffi-
cit,

c) Tode Erleichterte Kenntniss und Heilung des
Trippers. 1790. pag. 9.

cit, si modo nutrix antiphlogistico regimini sese deuouet. Infantem diligenter decocta aut ptyanas hordei, gummi Arabici cum oxymelle bibere oportet simulque alui secessus per clysmata, electuaria mannata etc. promouemus. His omnibus vtilitatem non satis magnam afferentibus et inflammatione pertinacius perseverante, vna cum congestionibus, gingivae scarificationibus aut sanguisugis sanguinem detrahimus eiusque orgasmum componimus. HIPPOCRATES iam hirudinum usum in dentitione nouit et laudauit, nuperrime praecipue Le ROY d) hanc methodum celebrat. Porro in libro de dentitione ait HIPPOCRATES, dentitionem esse faciliorem cum febre iunctam, sic quoque in hyeme. Optimum tempus dentitionis est ver, profitente Arabe RHAZE. STOLL quoque dentitionem facilem febre immo variolis praesentibus obseruauit. Si fordes in primis viis insunt, emeticis nisi inflammatio vetat; utimur aut lenibus eccoproticis v. c. tinctura rhabarbari

B 4

aquo-

d) Journal de Paris. no. 292. Oct. 1784.

aquosa, liquore terrae foliatae tartari et cet. Calomel ad quartam grani partem cum dia-scordio in pilulam formatum quoque profuit, praecipue si colluvies verminosa simul aderat; tussim quoque emeticum lenire potest. Inflammatione minima, ventriculo et intestinis sanis, maiori cum securitate ab antispasticis auxilium petimus, praecipue, si convulsiones validae sunt; his inferuiunt quoque vesicatoria et femicupia tepida. Praeterea vero ruptura gingivae studium nostrum minime effugere debet. Superstiosis temporibus hunc in finem gingivam statim post partum placenta vteri, aut cerebro leporis, sanguine ex galli nigri pectine terebant, e) quibus non parvam utilitatem tribuebant, quas ineptias nunc adhuc in pagis passim inuenimus. Plures medici, inter quos etiam ROSENSTEIN in praeclaro libro de morbis infantum, emollientibus gingivam illinere suadent e. g. syrupo de althaea, butyro recenti, oleo amygdalarum, melle et cet. sed per hanc relaxatam gingivam

e) Schwimmers physikalische Ergötzlichkeiten. p. 93.

uam dentes aegrius penetrare, necesse est, quia nunc magis dilatata pressui dentium, canini praesertim cedit; unde dolores ceteraque symptomata aucta videmus. Inflammatione modo valida, emollientia vtilia sunt. BOVRDET, gingiuam rigidiores reddere monuit et hunc in finem succum citri laudavit; HOFFMANN vinum aqua permixtum; STOLL spiritum salis cum succo semperuiui et quoque acetum dilutum salubria esse censuit. Primo stadio et prius adhuc, digito gingiuam infantis leniter terimus simulque, quod Cl. SELLE aliquae monent, duriusculum corpus in quod mordeant, iis damus, quanquam ISENFLAMM f) hac methodo gingiuam callosam fieri dixit. Gingiuam discindere nonnulli quam maxime monent, quod vero secundo tamen stadio et quidem in dentibus molaribus vtile sese praebere potest, quia prius discissum vulnus, dens si prorumpere vellet, nunc clausam et cicatrice obfirmatam gingivam offenderet. HUNTER quidem dicit cicatricem rupturae fa-

B 5

vere,

f) *Isenflamm* ueber die Knochen, Erlangen 1782.

vere, sed gingivam ea non rigidam fieri, sed potius callosam ac penetratu difficiliorem reddi credo. Interdum dentes omnes adfunt, attamen nullum symptomatum leuamen percipitur; in os tunc inspiciendum est, nam plerumque fibram gingivae supra coronam tensam reperimus, quae statim soluenda est. Subinde alveoli margines supra dentem declinati aperturam claudunt; tunc frustula ossea haec forcice sunt tollenda.

Dentitionem secundam multo minores aegritudines comitantur; constitutio corporis firmior, solidae partes robustiores, irritabilitas corporis infantilis imminuta eam facillimam reddunt. Dens sapientiae quandoque dolores ciet, gingivam scindere non inutile erit; exempla exstant, eum anginam inflammatoriam procreasse. Dentitio secunda tantum auxilio nostro quoad iustum locum dentium eget, de quibus infra adhuc erit dicendi locus.

§. VII.

Homo adultus omnibus dentibus praeditus, etsi iis conseruandis studet, tamen eos
amit-

amittere et quidem e sequentibus causis facile potest.

1) Gingiua putrida, mollis, spongiosa et scorbutica. Principio albescit, tunc in atrocaeruleum colorem transit et facillime sanguinat; corruptio subito aucta non solum gingivae, sed quoque maxillae et toti cavo interno oris perniciosa est. Antiscorbutica et interna, et externa hic iuuant, gingiva spiritu cochleariae illinenda est. Statu hoc diu perseverante, SWIETEN g) initio gingiua albescente, mixturam salis ammoniaci cum succo citri et aqua ad oris collutionem instituendam laudat, scorbutum auctum optime vero acido salis diluto sanavit. Spongiosa gingiua vero non semper scorbuti sequela est, sed saepius idiopathicus morbus; tunc frictionibus cum spongiis et pectine setaceo obstructions solvenda et circuitus sanguinis aequalis restaurandus est, quare adstringentibus et roborantibus e. g. alumine, myrrha, cortice Peruviano utimur.

2) Gin-

g) Swieten Commentar. in Aphor, Boerhav. T. IV.

P. 423.

2) Gingiva breuior facta, siue tartari pressione, siue dentiscalpii usu, siue alia quacunque de causa. Cura diuturna esse debet, nam regeneratio quasi gingivae est procreanda. Externum eius marginem scarificationibus et adstringentibus afficimus ad copiosorem humorum affluxum promouendum; saepius id repetimus, donec gingiva iterum ordinaria magnitudine gaudeat; simul eam leniter contra dentem premimus iuncto usu roborantium et adstringentium.

3) Frequens salivatio denti mobilitatem dedit, sed hic dentium conseruatio saepius alii scopo subiungenda est. Salivatione perfecta, dentes sine ullo auxilio stabiles et firmi fiunt, seu adstringentibus obfirmantur.

4) Externa iniuria dentem reddidit infirmum. Mobili denti naturalem situm des; manducatione aut alia functione eum carere oportet. Aegrotus tantum alimenta liquida sumat. Ligatura quoque dentem cum vicinis iungere possumus.

5) Si dens oppositus altera in maxilla amissus est, succus osseus alveolum explet et dens

dens eiicitur. In locum amissi dentis alium substituimus, sed si senibus id obuenit, ars nihil praestat, sed constantibus naturae legibus obedire oportet.

§. VIII.

Nullus est morbus, qui pluribus remediis oppugnetur, quam odontalgia; nullum medicamentum, cuius salutares effectus non unquam laudatos reperiamus; unumquodque voti nostri nos subinde compotes fecit, ac nullum est, quod non tam repudiatum, quam laudatum sit. Rarissime causam huius mali satis perscrutari medicis datur, quamquam ea modo ablata valetudinem restituere possumus. Quotidie invenimus remedia non inutilia tantum, sed etiam nocua, quae seplasiarius in taberna commendat ac credulo vendit, sine cura, num salubria sint; nec ne? Causae odontalgiae saepius sagacissimo medico absconditae sunt, ut empirice agere coactus sit: felix ille, si e cunctis dilectum optatis fauet, nec praebuisse postea poenitet. Non solum dolores, sed quoque alia incommoda ad sanationem incitant.

Dam:

Damna sunt: pertinax agrypnia, inquietudines, deliria, febris atrox, inflammationes et exulcerationes maxillae partiumque vicinarum, caries, conuulsiones et animi deliquia.

Odontalgiae variae species sunt:

1) Odontalgia rheumatica. Latum est rheumatismi imperium, et dentibus quoque eum minime parcere, nemo est, qui neget. Hanc odontalgiam saepius prodromum dysenteriae esse, illius certe speciei, quam STOLL rheumatismi intestinalis nomine tractat, CISELLE h) monet. Signa diagnostica haec sunt: plerumque dentes sunt sani, nam interdum modo rheumatica materies morbosos afficit, aegrotus dentem maxime dolentem ignorat, dolor totam maxillam obruit, mox hanc, mox illam partem; symptomata febrilia adfunt, intumescencia gingivae et partium iuxta positarum; dolore imminuto, ptyalismus, coryza, raucedo, inflammatio amigdalorum, vuulae etc.; dolor statim post refrigerationem et transpirationem suppressam oritur,

h) Selle medicina clinica. 1789. p. 165.

oritur, pulsus neque fortis, nec plenus,
 sed celer. His fugatis stupor quidam in den-
 tibus et maxilla remanet. Febrim vāidam
 antiphlogisticis oppugnamus: omnia reme-
 dia aut suppressam perspirationem restituere,
 aut liquorum haesitantium excretionem ac-
 celerare oportet; quare diaphoretica sunt
 adhibenda; pelles leporinae, puluinaria ca-
 lefacta circa genas, tosto furfure, floribus
 chamomillae, sambuci etc. expleta, panni
 lanei succini fumo imbuti aut camphora, te-
 pida capitis balnea, donec sudor promanet.
 Praesertim vero cauendum, ne caput refri-
 geres e. g. subitanea denudatione frigido in
 aëre. Humores accumulatos vesicatoriis, et
 sinapismis deriuamus, circa parotidis regio-
 nem ea remedia imponenda sunt, aut inter
 scapulas et nucham, nam ab admotis circa au-
 res, vereor, ne rheumatismus has afficiat
 et saevius exinde malum oriatur. Simul fia-
 lagoga profunt, manducatio radicum acrium
 v. c. radice pyrethri, imperatoriae, origani
 etc. porro camphora cum aceto in os im-
 missa. Tali modo quoque Nicotianae fu-
 mus

mus sanationi inseruit, cui praeterea vis sedativa est; porro oleum Caiepoeth, Naphta vitrioli; anodyna, opium, theriaca caute adhibenda sunt, nam inflammatione simul existente ipsis neruorum malis minus conueniunt. Dentes, si carie non affecti sunt, odontalgiam electricitate fugare posse aliqui monent. LINNEVS 1) refert se dolores electricitate sopiisse, et mox reuersos repetito illo auxilio sanasse. Contra residuos e rheumate dolores inuant extractum arnicae, G. Guaia-ci etc. frictiones, prae ceteris vero lotiones frigidae dentium et gingiuae.

2) Odontalgia a plethora et ab haemorrhagiis suppressis. Aetas, temperamentum, habitus et constitutio aegroti nobis prima signa ad diagnosin faciendam praebent. Iuniores, sanguinei, lauto victui addicti, bene pasti, aut motu corporis, aut cibis aromaticis et calidis calefacti, homines, qui solitis haemorrhagiis obnoxii sunt, v. c. haemorrhagiae

na-

1) *Caroli Linnaei Confectaria electrico-medica.*
Upsaliae 1754.

narium, haemorrhoidibus, fluxui menstruo, ii, qui phlebotomiis adfueti erant: omnes illi odontalgia plethorica laborare quam facile possunt. Dolor celer ac validus aegrum excruciat, pulsus durus et plenus, facies rubra, calor oris praeternaturalis, subinde vehemens febris cum cephalagia, inflammatio gingivae et amygdalarum, imo exulcerationes earundem adsunt; baccae intumescunt sine dolorum leuamine. Reuellentibus, valde irritantibus, opiatis et acribus flagogis perniciosam hic medicinam faceremus. Quae quum ita sint, venaesectio prodest, quae forsan repetenda erit: Febre debili, aut nulla, topica phlebotomia sufficit e. g. hirudines, gingivae scarificationes, quibus odontalgia interdum subito opprimitur. Aestuationes et quoque calida integumenta versus caput congestiones mouentia vitanda sunt, sic etiam cibi et potus calfacientes, spiritus vini, coffea, vinum etc. Omnia spirituosae ad dolores sopiendos hic nocent et malum augent. Profunt cataplasmata emollientia, e. g. e semine lini, malua, althea, farina tosta et herba hyoscyami

mi parata, non autem ficca, aut camphorata, quae magis adhuc irritant. Porro parvae nitri doses cum roob sambuci propinandae sunt. Si ulcus formatum est, lac tepidum, aut ficum in lacte coctam in os frequenter fumere iubemus, donec id maturascet et tunc sine ullo incommodo aperiat.

3) Odontalgia gastrica. Molestiae rheumaticae cum ventriculo debilitato iunctae sunt; hae, ut *TISSOT* ^{k)} monet, usu refrigerantium incrementum capiunt ac dolores fortiores fiunt. Dolores capitis adsunt, appetitus prostratus, amaror oris, vomituritio est, ut breuiter dicam, omnia symptomata deprauatae digestionis maiore, aut minori gradu; ex quibus luculenter patet, morbum in infimo ventre habere suum promptuarium suamque penum, ophthalmiae gastricae auctorem. Emesis hoc in statu rite instituta saepius quam celerrime sanat, saburram intestinale elicit, materiam iam alibi dimissam ac pertinacius adhaerentem submouet et concussu

k) *Tissot* Anweisung für das Landvolk in Absicht auf dessen Gesundheit. 1763. p. 165.

cussu salutari totius corporis, et impressione aliena in systema nervosum; emeticis quoque purgantia et eccoprotica iungas. Dolores interdum periodice redeunt, vti intermittentium paroxysmi, ac hic roborantia, praesertim vero cortex, quam optime valent. STOLL talia exempla enarrat, vbi eius virtutes multo efficaciores reperit, ac alias intermittentes expugnare solet.

4) Odontalgia a vermibus. Hi encantur fumo Nicotianae, decocto Sabinae aliisque; praecipue vero fumus herbae hyoscyami per infundibulum in cauum oris immissus profuit. Alio modo adhuc hyoscyamus adplicatur. l) Horum vermium vero existentiam GOEZE m) negat et eos nihil aliud, quam hyoscyami semina esse, quae nobis vermium forma appareant contendit, simulque monet, ut medicamento hoc narcoticae qualitatis causa, cautissime utamur.

C 2,

5) Odon-

l) *Reichardts medicinisches Wochenblatt*, von *Müller* fortgesetzt. 9ter Jahrgang. 1783. p. 38.

m) *Goezens nützliches Allerley*. 5 B. p. 368. *Natur, Menschenleben und Vorlesung von Goeze*. p. 512.

5) Odontalgia arthritica. Arthritis siue adhuc vaga, siue ex articulis retrograda. Dolor dilacerans, non pungens, non semper aequae fortis. Antarthriticis solitis, praecipue ea, quae morbum in locum ordinarium repellant iungimus. Manducatio raphani, aut aliorum sialagogorum ad salivae excretionem promouendam sanationi intervit. Vesicatoria et sinapismos super cubiti articulationem imponimus. Dolores si maxime saeviunt, dentem quoque extrahimus, alveolum mixtura salis, mellis et aquae eluimus et dentem cauo rursus reddimus.

6) Odontalgia hysterica. Spasmi non raro odontalgiam excitant, cui speciei praecipue sexus sequior et irritabiles homines obnoxii sunt. Dolores non continui, sed alternantes. Antispastica et externe circa genas, et interne cum erioxylo in dentem posita profunt. e. g. oleum Caieput, Naphta vitrioli, liquor anodynus etc. Huc quoque refero odiosos illos affectus nonnullorum, si asperos et raucos sonos audiunt, v. c. limae strepitum aut si cultro vitrum, aut lapidem scindis limasque.

7) Odon-

7) Odontalgia ab acidis. Cibi acidi, austeræ fruges, potus vini Rhenani stuporem dentium gignunt. Manducatio acetosæ ad fortius acidum debiliori delendum laudatur, aut dentes linteo panno calido velamus.

8) Odontalgia grauidarum sæpius inter symptomata grauiditatis numeratur, cui nullum medicamentum opponimus; si vero alia ex causâ ortam esse cognouimus, indicationi obedi-
mus.

8) Odontalgia a carie, de qua § sequenti.

9) Odontalgia ab acrimoniis variis. Contra unamquamque harum agimus, ut indicationes postulant.

Si vero, ut iam supra monuimus, causas cognoscere nobis non licet, empirice remedia eligimus. Roborantia, stomachica et antispasmodica præcipue utilia sese præbent; sæpe fiducia in medicinam aliquam ab aegroto posita, efficit, ut conualecat, quare bufonis ossicula, lora e Turci pelle aliaque superstitiosa et vana amuleta mirabilia præstiterunt; dolorem fortiori alii cessisse, e. g. illi a concussione tibiæ, legimus; similes sunt effectus terroris et metus; intuitus dentiduci sæpe
C 3 quam

quam celerrime, quasi incantamento dolores fugat. Praecipuam attentionem nuperis temporibus lapis magnes excitauit, cuius summam utilitatem KLAERICH *n)* commemorat. Attactus illius sensum frigoris apud nonnullos, caloris apud alios mouet, interdum dolor auctus, interdum partium stupor est obseruatus. Aegrotum ipsum lapidem in manu habere optimum est: nec quoque idem esse videtur, quo polo magnetis et qua directione eo utimur; saltem multa hac de diuersitate PARACELSVS *o)* et plurimi eius discipuli retulerunt. Interdum dolores mox fugauit breuissimo tempore; interdum vero malum recidivum repetitionem medicinae huius necessariam reddidit. UNZER *p)* quoque efficaciam magnetis probat, vt non inutile foret, hocce cum medicamento veteribus *q)* iam noto plura adhuc experimenta

n) Hannöuerisches Magazin. 1766.

o) *Theophrasti Paracelsi Opera omnia*, Basel 1559. Tom. VII. p. 100.

p) Der Arzt. T. 6. p. 84.

q) *Plin.* lib. 36. c. 16. *Avicenna* de viribus cordis. Tract. II. c. 7.

ta facere, sed Scylla superstitionis esset superanda.

§. IX.

Corruptio ossium, quae non cum solutione, sed potius eorum exfoliatione sociata est, caries audit, quae dentibus non minus damnum parat. Duas in species diuiditur:

1) Caries aperta. Initio parua, lutea, dein vero atro-coerulea macula obseruatur, quae externam dentis substantiam foedat. Sensim increfcit, donec quoque diploen inuadat, quod vitii genus per plures interdum annos protrahitur. Diploe vero laesa, mali incrementa quam celerrima sunt, dolores intolerabiles ac continui; nam denudatus neruus attactum frigidi aëris ac quoduis ciborum irritamentum percipit.

2) Caries occulta. Dentis radix in basi cariota est et statim miser aegrotus saeuissimis doloribus excruciat. Externa in facie saepius nihil apparet, candor et incolumitas dentis coronae interdum minime vitatur, gingiua minime labefactata dentem arctissime

circumdat. Dens auulsus vero, radicem morbosam, spongiosam, spinae quasi ventosae similem esse docet. Difficillime diagnosis huius speciei e sequentibus signis instituere possumus:

a) Dens dolet, sed doloris causam aeger ignorat, sentit eius initium ad inferiorem basis partem, tunc latius sese extendit, attamen ad ima radice validissime urget.

b) Externa dentis facies interdum lutea apparet, sed hoc non est constans signum.

c) Intumescientiam in gingiva saepius inuenimus, ulcus erumpit et mox clauditur; quod notatu dignum est.

d) Si tempore, ubi aeger doloribus vacat, duro corpusculo e. g. clauicula coronam dentis pulsat, statim dolores percipit.

Interdum vero caries sine doloribus exstat, interdum modo in initio eam sequuntur, dein redeunt, si accessui externi aeris viam non claudimus, HVNTER dolorem inflammatorium, quia inflammatae partes hic sese minime dilatare possunt, tam acrem et fortem esse dicit. Dentes antero-

res inferioris maxillae raro carie laborant; in aetate iuniori et virili saepius, rarissime vero in senectute hunc morbum inuenimus. Superficies superior molarium maxime, marginalia incisiuorum quoque, nunquam fere facies posterior cariota inuenitur. Corona dentis deleta, radix plerumque sana remanet et dein eiicitur, si alueolus succo osseo expletus est.

Causae morbi huius sunt externae et internae:

1) Causae externae,

- a) Externa iniuria, quae dentem frangit;
- b) Sordes dentium squalidae et munditiae neglectae ortae, praecipue, si mucus tenax, acidus aut rancidus adest,
- c) Tartarus dentium,
- d) Abusus acrim dentifriciorum et escharoticorum.
- e) Subitanea frigidi et calidi alternatio.
- f) Abusus fumi Nicotianae, qui non solum mordaci acrimonia, sed calore quoque nocet.

2. Causae internae, quarum numerus infinitus est, quanquam dispositio quaedam cariota locum habere videtur. Ca-

chexia et scorbutus praecipuae sunt causae; sic quoque digestio deprauata, quam saepius cum vitiosis dentibus sociatam inuenimus, etsi illa quoque dentium corruptionis sequela esse potest. Cariem ex internis causis ortam esse cognoscimus, si dentes ordine quodam labefactant ac causae externae ab-
sunt. In dubio adhuc positum est, num dens cariosus alium inficiat, nec ne? Damna, quae caries affert, sunt iactura dentium, digestio corrupta et clara verborum pronuntiatio impedita, nec minus dedecorosa facies. Radix dentis laesa promouet excrescentias gingivae, vlcera, epulides, fistulas antri Highmoriani, cariem maxillae etc.

Cariem dentium sanare non possumus, sed tantum eius incrementum impedire et dolores imminuere nobis licet. Initio, si macula adhuc minima, tantum vitream substantiam laedit, nulli dentifricio cessura, lima nobis auxilium praebet. Diploë vero si iam morbosa est, status hic ferri aciem respuit, nam interstitium lima factum pluribus adhuc detrimentis ansam dat. Corona si excavata est, plerumque manducatione
fran-

frangitur. Cauteriis et expletione coronae cum plumbo, aut alia materia hic utimur. Obtuso ferro dentem excavatum fordibus liberamus et tunc cauteria applicanda sunt, quorum praestantissima ferrum candens ac chemica, e. g.

1) Olea aetherea e. g. oleum Cinnamomi, Caryophyllorum etc. cum orioxylo in cauum dentis imponimus. Tempore octo fere dierum elapso, dentem denuo mundamus ac carie superstitite adhuc medicinam hanc repetimus, donec dens purus inveniatur.

2. Liquor anodynus et Naphta vitrioli; haec illi anteponenda, quia celerius adhuc dolores sopit et futuros prohibet. Caute vero hoc remedio utimur, ne corona dentis aut vicini laedantur.

3. Acida mineralia, v. c. oleum vitrioli, acidum salis etc. nimis escharotica sunt et gradum actionis eorum non dirigere possumus.

Ferrum vel aliud metallum igne candere quam maxime oportet, nam calidum modo, intolerabiles dolores ciēt. Hoc in cauum

cauum dentis immittimus, quo facto dentem siue plumbo, siue auro explemus. Haec cariei progressui impedimentum faciunt, nullae ciborum reliquiae remanent ac nervum afficiunt, nulla externo aëri via aperta est atque dens expletus locum sani fere compensat. Aurum plumbo magis ad explendum aptum est, nunquam enim acida in illud agere possunt, ac quoque multo flexibilius omnia interualla tegit, quod magni est momenti. Expletionem dentis supra coronam non eminere necesse est, quia alias dens oppositus altera in maxilla eam mordet ac dolores facile vitandi exinde nascuntur. Non semper vero expletio prodest e. g. si apertura superior, illa basis multo latior est, materia explenda non fixum locum tenet et omnia vt prius sese habent. Sic quoque apertura in margine exstante, dens vicinus auxilium nostrum irritum facit. Hic profunt camphora, opium, Naphta vitrioli etc. aliaque antispastica. Dentem quoque extrahimus, extractum mundamus, mundatum explemus et tunc eum alueolo reddimus, quae operatio vero tantum apud
in-

incisiuos et caninos locum habet. Apertura quoque perforatore est dilatanda. Aurum et plumbum interdum arctissime in cauum dentis pressum dolores mouet, at tunc de-
nuo expletionem repetimus. His vero omni-
bus frustraneis, dentem luxes, quod neruo sensibilitatem demit. Si vero corona tota iam deleta est, limatione eminentias residuas tollimus et coronam artificialem imponere possumus. Haec si displacent, cauteriis ad-
motis, natura ipsa nulla alia re adiuta radi-
cem eiiciet.

Internae cariei causae nostram quoque attentionem merentur, sed difficillimum id est opus. Tota medicina, tota chirurgia nobis hic viam aperiunt et vbicunque mor-
bosa inuenimus, vt ea tollantur, curam ge-
rimus. Indicatione nulla certa, tamen quid diaeta valeat, experimur. Motus et exercitationes corporis, victus alimentorum nutrientium et digestionis facilis cum robo-
rantibus iuncta e, g. cortice Peruuiano, ferro ac balneis frigidis nonnunquam coeptis fauent.

Supra iam quaedam ad odontotechniae doctrinam pertinentia attigi, de qua mihi adhuc pauca dicenda sunt. Dentes recto et serio ordine esse positos, quoque iam monui; quaevis declinatio ab hoc naturali situ, auxilium nostrum quaerit. Prima dentitione otiosi sumus et quia primi dentes mox amittuntur, et quoque, quia rarissime ordinem solitum relinquunt. Secunda vero dentitione dentes canini et incisivi operam et laborem odontotechno imponunt, nam molares tam fixa positione simulque pluribus radicibus gaudent, ut eos esse tractabiles, recte neges. Incommoda a nobis coercenda sunt sequentia:

I. Dens obliquus faciem dedecorosam reddit ac mobilis factus acutis marginibus et linguam et labia laedit. Si dentes lactis posteris dentibus fortiolem renixum opponunt, eorum ordo tali casu corrumpitur. Interdum tunc dentes aliam sibi viam aperiunt, quare duplicem eorum seriem reperi tam esse legimus. Dens lactis si mobilis et lon-

longior, vel obliquus factus est, plerumque sponte sua cedit; immobilem vero simulque obliquum statim extrahas, sed caute; nam irritamentum ab extractione ortum non raro inflammationes et suppurationes procreavit. Quia dentes secundi prioribus maiores sunt, illorum vnus plures mobiles reddit, quare etiam plures sunt extrahendi.

2) Coronae dentium supra sese inclinatae sunt, quod tantum in iunioribus subiectis, vbi solidae partes flexibiles adhuc leni pressui obediunt, corrigendum est. Ligatura hic prodest et quidem sequenti modo: aureum filum per interstitia obliquorum dentium ducimus, huius fines antrorsum inter sese iungimus, donec levis impressio-
nis sensatio, minime vero dolor percipiatur. Pressio haec augetur vsque ad restauratum ordinem, quod interdum mensibus quibusdam elapsis fieri solet. Pluribus dentibus mobilem iungere, necesse est, nam vnus solus facile cedit ac quoque mobilitatem nanciscitur. Multa adhuc artificia et instrumenta adsunt, ex quibus ad quemcunque casum aptissimum eligas. Si dens versus an-

teriora inclinatus est, tunc non solum difformitas orta, sed quoque alia incommoda interdum auxilium petunt, v. c. labii reunio in labio leporino. Si plures sunt, eorum vnum extrahimus et quidem illum, qui maxime ligaturae est impedimento.

3) Si dens ceteris maior est, facilius labefactatur, quia maxillae pressio in eum quam maxime agit. Limatione ei iustam magnitudinem reddimus.

§. XI.

Extractio dentis et aegroto, et odontotechno infesta est operatio; ille non solum intolerabilibus doloribus vexatus est, sed simul variis periculis, illi saepius feliciter ignotis, sese offert; hic vero non raro impedimenta videt, initio minime remouenda. Iactura dentis non modo, verum etiam infelix saepe operationis euentus nobis rarissimum eius vsum suadent: sed aegrotus odontalgia cruciatus, impatiens dentis extractionem requirit, quae interdum casu et fortuna eum sanat, nam e. g. si plethorae effectus dolor erat, sanguinatio den-

dente auulso salubris reperitur, sed faciliore ac commodiore via eam praestare possumus. Abusus artis, iam veteribus notus erat, nam ERASISTRATVS refert, in APOLLINIS templo plumbeam forcipem suspensam fuisse, vt monerentur chirurgi, ne alios dentes extrahant, quam qui leni pressioni cederent. Turci r) non prius operationi huic olim sese dabant, quam ab Imperatore permissio iis erat concessa. Animam suam odit, qui dentem sibi extrahi patitur, Arabum loquendi formula erat.

Extractio dentis instituitur:

- 1) dens si plane inutilis est;
- 2) dentem extrahimus ad eum mundandum et denuo alueolo reponendum;
- 3) tempore secundae dentitionis, si dentes lactis mobiles sunt;
- 4) si infantibus loco insolito dentes sunt, quod suum eorum impedit;
- 5) si dentes sponte sua ita mobiles fiunt, vt fere sine instrumento adiutorio eos tollere possis v. c. in senibus;

6) Si

r) *Hoffmanni* diss. de histor. dentium c. I. p. 17.

6) Si dens corruptus fistulam, aut aliud detrimentum gignit, quod tantum dentis ablatione sanari potest.

Pericula, quae in operatione insunt:

1) Si dentium vicinorum radices in vnam congerminatae sunt, tunc vel plures extrahis, vel maxillam frangis et multorum malorum fontem aperis.

2) Si dentis radices incuruatae sunt, aut tam excedunt, ut basis peripheria, eam superficiei superet. Saepius id apud dentes pluribus radicibus gaudentes occurrit; rarissima specimina in iam supra laudato museo anatomico Ill. WALTHERI praeceptoris dilectissimi vidi, non solum molares, quorum radices validissime incuruatae, sed quoque dentes sapientiae cum tribus, quatuor imo quinque radicibus. Haec si accidunt, tunc facile cognoscitur, extractionem laboriosissimum esse opus, ac maxillae festucationem minime esse vitandam. Felicissimus est euentus, si corona dentem relinquit.

3) Den-

3) Si dentis radix cum alveolo est concreta, quod in maxilla superiori antri Highmoriani aperturam procreat.

4) Haemorrhagiae validae, magna cum opera sedandae.

Vana est superstitio, grauidis operationem hanc infestam esse; omnino grauidarum odontalgia levis est momenti, sed si indicationes certae adfunt, magis adhuc eam instituere nostri est officii, ne diuturna remora doloresque effectus noxios excitent. Dentis angularis extractio saepius infesta est, quia odontotechnus radicem huius longiorem esse, oblitus est.

Dentem tantum luxamus, et ad dolores imminuendos, et ad infelicem extractionis, euentum prohibendum, aut tunc, si nullam certam indicationem in odontalgiae sanatione facere possumus et tamen ea nullis remediis leuata aegrotum vexat et dens adhuc incolumis est; hac luxatione neruum dentis dilaceramus ac sensibilitatem tollimus. Hanc operationem tantum efficacem inuenimus, si dens

tantum una radice firmatur; nam plures sunt, neruum unius radice interdum delemus ac dolores ut antea faeuunt. Sic quoque extractio minus perniciofa est, si primo dentem luxamus et tunc eum extrahimus. Si priori vi minime cedit, melius erit operationi valedicere, quam noua et fortiora mala excitare.

Triplici modo dens extrahitur:

1) Horizontali directione, clauae Anglorum; sed magna tunc vis requiritur; gingiua faepius valde laeditur et non raro corona cum alueoli marginibus frangitur.

2) Perpendiculari directione. Instrumenti ad hanc apti delineationem RICHTER s) nobis dedit.

3) Dentiduco Pelican vulgo dicto. Hoc mediam rationem ad praecedentia instrumenta habet ac omnium tutissimum est. t)

Haemorthagiis obuiam imus adstringentibus, v. c. aceto vini, aut agarico, aut aliis
gluti-

s) *Richters chirurgische Bibliothek*. Vol. 6. p. 343.

t) *Fauchard Tom. II. pag. 18,*

glutinosi remediis hunc in finem laudatis, quae in alveolum cum linteo carpto ita ponimus, ut oppositus dens fixam eius remedii positionem seruet. Candens ferrum quoque laudatum est. Haemorrhagiae recidiuae interdum noctu et apud infantes perniciosissimae fuerunt, nam deglutitus ac in ventriculo coagulatus et corruptus sanguis materiem morbis variis ac quoque morti praebuit. Si alveoli margines fracti sunt, iis in iunioribus subiectis solo digito iustum locum reddimus, saepius id apud senes occurrit, ubi frustula ossea caute amouenda sunt, ne inflammatio aliaque mala oriantur.

§. XII.

Substitutio dentium est duplex:

1) Aegroto et sano simul dentem extrahimus, hunc statim in illius alveolum ponimus, quod nomine transplantationis dentium notum est. Dens in alveolo succo osseo arctissime circumdatus fixum locum acquirit, ita, ut difficulter eum extrahere iterum possis. Sed prouidendum est, ne dens sub-

stituendus extracto maior sit; tunc limatione iustam magnitudinem efficimus. Aureo filo eum adhuc vicinis iungimus. Operatio haec vero saepius tristissimos effectus praebuit; e viginti subiectis unum mortis periculum obire Cl. FRITZE u) praeceptor venerandus refert. Mercurius saepius malum sanauit, quod multi a venerea causa deducunt. Hanc HVNTER x) negat ac causam esse virus scrophulosum, ulcera vero ab operationis irritamento prouenire docet. Tutissimum remedium est, dentem transplantatum statim extrahere.

2) Si dentes iam dudum sunt elapsi et a transplantatione metus est. Tunc dentem eburneum, aut alium artificialem imponimus. A latere eum perforatum aureo filo vicinis iungimus simulque gingiuam scarificamus, vt aucto huius incremento firmior fiat; saepius id repetendum est, quia succu-

u) *Fritze Handbuch über die venerischen Krankheiten.* p. 232.

x) *Hunter von den venerischen Krankheiten.* p. 675.

cus osseus alienum corpus eiicere molitur;
interdum quoque irritamentum inflamma-
tionem et vlcerationem producit.

Si radix adhuc in alueolo retenta est et co-
rona modo deficit (quae fracta est e. g. spasmis
validis aperturam maxillae negantibus, vbi
aegrotum tamen alimentis nutrire oportet)
quoque artificialem coronam cochlea affi-
gere possumus.

T h e s e s.

- 1) Vterus fibris muscularibus est destitutus.
 - 2) Nulla viscera intra faccum peritonei invenimus.
 - 3) Irritabilitas, muscutorum propria facultas, aliis partibus minime imperat.
 - 4) Nimis parva opii dosis, interdum aequae noxia, ac nimis magna.
 - 5) Venaesectio indicata non semper opii usum vetat.
 - 6) Emeticum interdum antiphlogistici nomen meretur.
 - 7) Febris puerperarum minime a metastasi lactis oritur.
 - 8) Euacuantia in febribus continentibus sunt reiicienda.
-



